

Vd
170

R E C T O R
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO· M A T T H I A S
H A S I V S
 MATH· INF· P· P· O
CIVIBVS ACADEMICIS

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Et si fatalis hic dies, omniq[ue] Saxoniae iactuosus, superiore anno, Reginam, immortalitate dignissimam, uita, nos autem solatio, quod ex illius spiritu peperdit, optatissimo, nec opinantes, orbauit, uiuit tamen in animis nostris adhuc, semperque uiuet, Diua CHRISTIANA EBERHARDINA, quae tanto praestantius Regii decoris, quanto illustrius incorruptae sanctitatis, exemplum posteris reliquit. Nam regina uirtutum pietas est, quae sola regios facit animos, sola parat animos supra res humanas elatos, quos, in magnis praeferunt opibus atque florentibus, occupat, quos repurgat a corruptelis, quos, in obsequium Dei flexos, gubernat. Quo enim solutior est, in altissimo fortunae gradu, paratiorque licentia, quo crebrieres blandioresque peccandi sunt illecebrae, quibus iubendi de potestas obsidetur, hoc difficilius est, animum continere, ubi, quicquid libet, uidetur licere. At, plus licere, quam fas sit, ne videatur, religio prohibet, quae cuius animum subiicit, is quidem, praesentis ubique, quod intimos simul hominum sensus perspiciat, Numinis cogitatione commotus, nihil neque faciendum, neque dicendum, ac ne sentiendum quidem, iudicat, quo uel offendendi possit diuina bonitas uel ultio provocari. Sola quoque religio efficit, ut omnis fortunae tum arbitrum, tum auctorem, putemus Deum, nullamque ueram felicitatem, quae nunquam obsoletat, nisi solo in Deo, quaerendam. Quo fit, ut animus, hac imbutus opinione, neque secundis efficeratur rebus, neque succumbat aduersis. Cautet enim, ne qua sui insolentia crimen ingrati concepiat, ne diuinis sese beneficiis ostendat indignum, certumque habet, quicquid eueniat aduersi, non perdendi sui causa euenire, sed conseruandi, nec euenire quicquam posse tam calamitosi, quin diuinitus idem facile ac puncto temporis corrigi possit. Ita uero, quanto coniungitur arctius cum Deo, in quo reponit cuncta, tanto longius ab rerum, quas homines expetere solent, cura disiungitur, in Deoque defixus, caduca despicit, aeterna consecutatur. Haec mens fuit, hoc studium, Reginae, quae, de Deo rebusque diuinis, assidue cogitans, uitam sic instruxit, ut corpore uidetur in terris, animo in coelo, uerfari. Itaque, consilio sapienter inito, quae gloria maiorum, quae loci altitudo, quae fortunae splendor, inter homines ipsosque Principes amplissima, tribuerant, nihil in haec ambitioni permisit, sed haec cuncta diuino honori, diuinae uoluntati, subiecit, eos denum, arbitra-ta, honorari, qui Deum honorent, eos imperare, qui pareant Deo ac seruiant, eos uere fortunatos esse, qui fortunae suae thesauros in Deo recondant. Animi, sic compositi, pari fastigio in

in utraque stetit fortuna, sed, hanc ipsam animi magnitudinem factis, persona sua dignis, probandam, duxit. Ipsa quidem, coelesti praefidio invicta, nulla calamitate frangi potuit, sed tanto acris, aliorum misericordia capta, laborantibus subuenit, labantes sustinuit, iacentes excitauit. Nullos certe neque maiores sumptus, neque libentius, fecit, quam in egentes, quorum, benignitatis suae fama, plurimos inuitauit, neminem dimisit tristem, multos, de quorum cognoverat inopia, ne petentes quidem, munificentia sua, nec tenui, subleuauit. Constat inter omnes, quam benigne ciuibus aequa, ac peregrinis, fecerit, sed ipsa, sciri, noluit, multa magnaue beneficia, quae multis daret, ex his etiam nonnullis, quorum, in maiore dignitate, uirtuti fortuna non responderet. Sciuntur tamen haec, haec ab iis, a quibus accepta sunt, laudantur, ac mentis excelsae declarant indulgentiam, quae maior esse uoluerit, quam uideri. Commemorant ueteres, in Marmoribus praesertim, ALIMENTARIOS Imperatorum PVEROS, ALIMENTARIAS PVELLAS, sed hoc idem commemorant, quod egestati utriusque sexus sustentandae Regina repreäsentauit, luculentis utique documentis. Nemo uenit in aulam Reginae, quin sedem continentiae, templum uirtutis, sacrarum religionis, intrasse sibi uisus sit. Nemo tam laetus hoc introit hospitium temperantiae, qui regalis nitoris ullum in eo cultum desiderarit. Tam salubri mirabilique sanctitatis ac magnificentiae temperamento patuit, aulas esse, unde non exendum sit piis, in quibus pietati cum elegantia optime possit conuenire. Sed hoc, quantumcunque est, totum sapientiae debetur Reginae, quae, imperio inter suos maxima, maior exemplo fuit. Talem enim se praebeat, quales alios esse uellet. Quos quidem, imitatione sui, cum redderet probatissimos, non poterant hi felices sibi non uideri, non aucta solum fortuna sua, sed etiam uirtute. Ipsa iam sacra, publica priuataque, quam caste fecit, quanta liberalitate sacris aedibus, uel restituendis uel extruendis, succurrit, quanta sacerdotes comitate complexa est, quantam religionis tuendae curam suscepit. Quam denique, gratia in omnes effusa, ne infimos quidem aditu exclusit, admissosque clementer, et consolata est et iuuit, adeo quidem, ut iuxta imi summique haberent, quam ueram Patriae Parentem mitissimamque reuererentur. Longum est, referre tot religiose, tot sapienter, tot mansuetu omnique hominum generi amice, facta, quibus omnis Reginae uita cum eluxerit, haec, iudicari potest, totidem esse riuiulos fontis illius salutaris atque uberrimi, quem, in pectore tam generoso ac magnifico, aperuerit religio atque consecrabit. Pulcheriam quan-

dam, Marciani, Imperatoris, uxorem, Théodosii II sororem, in Regina, tam pia, dixeris, reuixisse. Illam quidem Leo Magnus literis, illam conspirantibus saeculorum tot historia iudicii, illam res ipsa mirificis laudibus, celebrat, hoc sapientiorem atque erectoris animi, quo sanctiorem, hoc praestantiorem, quo diligentiores, in sacro Palatio, sanctimoniae magistram, profuluae praeterea beneficentiae in pauperes, in Templa, in sacerdotes, in omnes denique bonos. At nihil horum de Pulcheriae praedicari virtutibus posse, quin idem de Regina praedicandum sit, et operum, quae fecit haec, amplitudo testatur, et, memoris animi sensu conuicti, nos recordamur. Fuit igitur haec eritque nostra Pulcheria, ipsa quidem augusta corporis specie multo pulcherrima, sed animo sancto, ob eamque rem excelso et uere Regio, longe pulchrior, erit, quam cara nobis, tam desiderata, erit desiderata nobis, quoad erimus ipsi, quoad erunt posteri nostri. Qui quidem CHRISTIANAE EBERARDINAE virtutes si perspexerint, habuisse nos, intelligent, Reginam, qua melior ne concipi quidem uotis potuisse videatur. Haec sentit nobiscum Generosissimus Celeberrimusque Vir, Io: GOTHOFREDVS Nobilis A BERGER, Consiliarius Aulac et Archiater Regius, Academiae Senior, et Prof. Medicus Primarius, Collega noster Observandus, haec, et alia, uberior, oratione annueraria, graui elegantiique, exponere parat. Quare Illustrissimum Comitem, Patres, omnium Hospites Ordinum, literatae denique Reipublicae Ciues, uniuersos ac singulos, rogamus, ut, *procuratis hodie sacris matutinis, in opidani Templi facello superiore conueniant, atque, hinc, dato aeris campani signo, in Arcis aadem festo ritu comitatuque progressi, obsequii religione, qua recolenda est Diuae Reginae memoria, perfungantur.* Oramus Deum atque obsecramus, ut, leuato moerore publico, saluo REGE, saluo REGIO PRINCIPE, salua DOMO REGIA, salua denique omni Saxonia, res spesque nostras, praepotenti defensas ope, fortunet. P: P: Nonis Septembribus, anno,
quam Salus restituta est,

CIC CC CI CIC

VITEMBERGAE
PRELO GERDESIANO

ULB Halle
002 380 137

3



A. 8, 12.

V 8
170.

**LECTOR
IAE VITEMBERGENSIS
MATTIAS
IASIVS
MATH INF P P O
VS ACADEMICIS**

